

† Fr. Franciscus (Henricus) Rausch (1887-1954)

(Prov. Germ. Inf.)



Confratres illi permulti, qui annis 1912-14 et 1919-39 in domo generalicia fuere, bene noverunt hunc actuosum altumque Fratrem coadiutorem, tamdiu extraneis curandis destinatum eorumque necessitatibus affectu quasi materno inservientem. Decet igitur in Analectis ei aliquam paginam dedicari.

Anno 1887, quo primum ab obitu S. Alfonsi saeculum complebatur, Henricus Rausch natus est in Osburg prope Augustam Trevirorum, in sinu familiae vere christianae. A. 1905 saeculo valedixit, secutus exemplum fratris maioris Bernardi, qui eodem anno in vestitione receperat nomen Sebastianum et hodieum Trevisis vivit, bonus senex 76 annorum. Fr. Franciscus (hunc novum Patronum Henricus in vestitione receperat)

ad vota nuncupanda admissus est in Geistingen 16 Iul. 1911, Magistro P. Petro Plum, et iam 2 Dec. 1912 Romam venit, sartorem Fr. Henricum Mazzoli adiuturus.

Primo magno bello inde ab Augusto 1914 Fr. Franciscus toti interfuit inter milites Bavaros, et in primis quidem lineis, ter vulneratus, variis decorationibus insignitus et Aprili 1917 renuntiatus *Unteroffizier-Feldwebel*. Epistulae ab eo illis annis quoquoeverus missae certe magnum volumen formarent. Quo die autem militari servitio liberabatur, eodem laetus rediit ad claustra sua, et mox P. Generalis aliique sodales domus generaliciae hunc fortem indefessumque Fratrem denuo laeti amplectebantur. Peculiari mentione digna sunt eius servitia huic domui reddita tempore duorum Capitulorum 1921 et 1936 et in demolitione Villae Casertae atque in bis saecularibus sollemniis a. 1933.

Ast magnae crucis onus huic actuoso Fratri a Deo impositum est Maio 1937 per subitanam paralysem lateris sinistri. Quod malum postea quidem aliquatenus deminuebatur, sed pristinae vires nunquam ad sinistram manum redierunt, et hac de causa etiam Franciscus noster nunquam ad dilectum suum laborem redire potuit. Maio 1939 remissus est in suam Provinciam, ubi tamen non pacem et salutem invenit, sed mox novi atrociorisque belli horrores atque ingravescentem in dies religionis persecutionem. Itaque domus Glanerbrug, Bochum, Trier, quibus in vices adscriptus erat, unam post alteram relinquere coactus est, utpote vel vi iniqua suppressas vel bello eversas.

Venit tamen finis belli, et venit finis postbellici temporis adeo ardui, et Franciscus cum gaudio vidit novam vitam e ruinis domus ac templi Trevirensis enascentem (1). Die 20 Martii 1953 translatus in domum Eupen, ibi ultimam peregrinationis terrenae stationem repperit.

Labentibus annis Fr. Franciscus pro recuperanda salute innumeras novendiales preces fudit, modo ad B. Virginem sub variis titulis cultam, modo ad unum e tot caelestibus Thaumaturgis. Non est quidem liberatus aegritudine corporali, sed obtinuit beneficia maiora: « magnum donum patientiae » (S. Aug.) ac *spiritum gratiae et precum* (Zach. 12, 10). Multas diei horas transigebat in oratorio ante tabernaculum, iuxta ordinem antea sapienter stabilitum nunc mentali orationi vacans, nunc preces vocales recitans, nunc utrumque iungens in Rosario Mariali et in Via Crucis.

Biduo ante festum Assumptionis BMV h. a. expresserat pium desiderium moriendi ante hanc festivitatem, et contra omnium opinionem exauditus est. Sabbato 14 Augusti more sueto cum communitate interfuera meditationi matutinae Sacroque subsequenti et pie receperat communionem. Sumpto ientaculo rediit ad levem ultimorum dierum operam, parva pala baculo affixa e viis horti omnem plantam viridem auferens. Probabiliter mox sensit quemdam cordis languorem; certum est quod in vicinum receptaculum supellectilis hortensis se recepit, ubi apoplexia cerebralis eius vitae subitanum finem imposuit. Coquus Fr. Nicolaus brevi post eum invenit sine motu et vita sedentem in imo gradu parvae scalae, brachio fultus in gradu secundo.

(1) Cf. *Analecta* 1951, p. 163-168.

Bonus Fr. « Franz », diuturna infirmitate 17 annorum purgatus, hoc Anno Mariano — ita vere sperare licet — cum ingenti meritorum cumulo supernae festivitati Matris caelestis, a se in vita tantopere veneratae, beatus interesse potuit. O fortunatum Fratrem Franciscum!

C. H.

---